

cum hac limitatione, ne obligatio talis illos effectus habeat, quos alias in foro civili habere solet, & ob id quoque; ne naturaliter quidem quandoque; obligari dicatur Pupillus, *l. 59. ff. d. O. & A. l. 41. ff. de cond. indeb.*

§. VIII.

Ad confessionem Minorum quancquam plura quæ supra adduxi, accommodari queant, tñ. obstat *l. 9. §. 2. ff. de Minor. l. 6. §. 5. ff. de confess.* ubi ipsum confiteri posse simpliciter asseritur, quamvis postea à confessione sua restituatur. Sed ut res evidentior fiat, discrimen erit faciendum inter causas civiles & criminales: Illæ respiciunt vel Minorum patrimonium, ejusdemque; administrationem, vel ipsius personam tantum, citra bonorum respectum. In illis iterum animadverti debet, utrum Minor habeat Curatorem nec ne? Curatorem quando habet, sine illo conditionem suam deteriore facere nequit per *l. Si Curatorem habens. 3. C. de in integr. restit. Minor.* vid. omninò beat. *Dn. Sveru.* de jur. personar. decad. 6. qvæst. 2. §. 4. Curatore verò destitutus Minor si judicialiter aliquid confiteatur, nihil agit, *l. 2. C. qui legit. stand. §. 2. Institut. de Curat.* Sin extra judicialiter aliquid confiteatur, hætenus quidem valet confessio, sed omninò eam rescindi posse textt. in *l. 3. C. de in integr. rest. Minor. l. 6. §. 5. ff. de confess.* disertè approbant. Quod si causa Minoris solummodo personam spectet, tunc extra iudicium confitendo sibi Minor obest, etiam sine Curatore. *l. in copulandis. 8. C. de nupt. l. sciendum est. 20. ff. de R. N.* in iudicio tamen nullo modo confitendo Minor sibi præjudicat, nisi cum autoritate Curatoris, per *l. 4. ff. de autor. Tut.* Causas ultimò quod attinet criminales, sciendum erit, in his quoque; de Jure Civ. ubique; autoritatem Curatoris requiri, similiter ut Tutoris in causis pupillorum, in tantum quidem, ut etiam eo præsentē debeat inter-

inter-